TEMPERAMENTVM.

C Tum cortex, tum planta, tum fructus guſtanti auſterior quàm Iuglans apparet, plus itaque habet eſſentiæ terreſtris & frigidæ. Symeon Sethi calidas & humidas eſſe Auellanas aſſerit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Stomacho aduerſantur Auellanæ. Tritæ in aqua mulſa, & potę ueterem tuſsim ſanant. Toſtæ uerò & cum exiguo pipere comeſtæ deſtillationem maturant. Totæ crematæ, tritæ cum axungia aut ſeuo urſino & inunctæ alopecias explent. Ferunt aliqui uſta earum putamina, & in puluerem redacta cum oleo cæſiorum oculorũ pupillas infantibus denigrare, perfuſo ſyncipite.

EX GALENO.

Valentiores ſunt Auellanæ quàm Iuglandes: nam denſior ſtrictiorq; his eſt ſubſtantia, ac minus oleoſa. Cætera magnæ nuci ſimilia ſunt.

EX AETIO.

Auellana, quę & Nux pontica nuncupatur, quod in Euxino ponto frequens ſit, præter quod frigidior, auſterior, terreſtriorq; eſt, in reliquis Iuglandi aſsimilatur. Comeſta dolorem capitis inuehit.

EX SYMEONE SETHI.

Magis nutriunt quàm Iuglandes nuces, difficiliusq; cõcoquuntur. Inflationes faciunt, &, ut quidam aiunt, ieiunum inteſtinũ lædunt. Facilius autem cõcoquuntur, minusq; uentrem ſiſtunt, ſi interior earum cortex abijciatur. Dicitur quod ſi quis ante reliquos cibos cum ruta ſumpſerit, huic neq; morſus, neq; uenena officere illo die poſſe, & ſcorpiones ab ipſo fugere. Sumptæ cum caricis, iam à ſcorpione ictos
D iuuant. Ad aciditatem à nigro humore excitatam omnino confert.

DE CENTVMMORBIA. CAP. CLI.

NOMINA.

Centummorbia unde dicta. HVIC herbæ, ut alijs multis, nomẽ aliud imponere non licuit, quàm, quo uulgò hodie appellari ſolet, Centummorbiæ. Sic autem hauddubiè à chirurgis, qui illa quotidie utunt, à mirifica ſua quam in plurimis ulceribus medendis obtinet facultate, dicta eſt. Sunt qui à foliorũ ſimilitudine, quę nummi ſpeciẽ referũt, Nummulariã uocant. A nõnullis Hirudinaria, quòd paſsim terræ hirudinis inſtar affixa ſit, dicitur. Nec deſunt qui Serpentariam appellent, quod compertum ſit ſerpentes hac herba ſi uulnerentur ſibi mederi. Germanicè Egelkraut/oder klein Naterzung/oder Pfennigkraut nominatur.

Nummularia.

FORMA.

Serpit per terram, exiguisq; radiculis è coliculis latis prodeuntibus nititur. Folia habet ex utroq; caulis latere rotunda, pinguiaq;; flores luteos.

LOCVS.

Prouenit in locis humidis, potiſsimum uerò circa fluenta.

TEMPVS.

Maio menſe apparet, Iulio autem floret.

TEMPERAMENTVM.

Guſtu admodum adſtringit, ut hinc conſtet ſecundi aut tertij ordinis exiccantium eſſe herbam.

VIRES.

Huius flores & folia trita adeò deſiccãt adſtringuntq;, ut quæuis ulcera glutinare ualeant. Ideoq; pota cum uino dyſenterias, uentris imbecillitates, fluxusq; ac humiditates ſanant. Cataplaſmatis ritu illita ulcerũ putredinoſa iuuant. Proſunt etiam ad ſan-

CENTVMMORBIA